Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1243
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 125. p. 2. Brevis Nomenclator latino germanicus, jam in *litera C.* definens. v. g. Actio *de werkende kraft in der materien.* Armonia *Zote Done.* Adherere *tho kleuen.* Atramentum *Zwerte.* Benignus *mynſam.* Blacta *ene vledermus.* Coequalis *medeghelyk* &c.

III. *fol.* 130. p. 2. Narratio fabuloſa inſcripta: *De Morte Ade.* Incipit: *Poſt ade peccatum et eodem de paradyſo expulſo propter peccatum* &c. *Adam* vitae pertaeſus mittit filium *Seth* ad *Cherub* cuſtodem *Paradyſi* orans, ut ſibi oleum miſericordiae a Deo promiſſum ſubpeditaretur. *Seth* mirandis multis in *Paradyſo* conſpectis refert tria grana pomi ex arbore vetita ſibi ab Angelo data, ſub lingua demortui Parentis ponenda. Conſurgunt ex his virgulae tres, videlicet cedrina, cypreſſina et pinea, ſymbolum Triados. Has decerpit *Moſes* prodigia earum ope patraturus. Atque hic Narratio in *Cod.* deficit, legitur vero productior in *Evangelio* dicto *Nicodemi* apud *Fabric. Cod. Apocr. N. T.* a *pag.* 278. in גלא רזיא ſ. *Revelatore Arcanor.* cujus locum ex epiſtola *Pauli Chr. Hilſcheri* habes apud *cit. Fabric.* in *Cod. Pſeudep. V. T.* p. 81. Item graece ex *Cod. Bibl. Auguſtanae* apud *Gretſerum* L. I. *de Cruce* c. 4. Italice in *Fioreto nouello del Teſtamento vechio e nouo* impreſſo *Taruiſii* 1478. et alibi, unde latine converſam *Job. de Pineda* Libro V. *de Rebus Salomonis* c. 14. inſeruit. Citant eam praeterea *Nic. de Lira* ad c. V. *Johannis*, et *Jac. de Voragine* in *Hiſt. Lombard.* ad diem *Inventionis S. Crucis.* Multum ubique, ut fabellarum mos eſt, variat, eo tamen tendit, ut ex iis virgis crucem *Chriſti* tandem enatam diſceremus.

IV. *fol.* 132. p. 2. Summaria *Pſalmorum*, quae incipiunt: *Conſideratio proceſſus humani generis quomodo quidam proficiunt ad beatitudinem. quidam vero deficiunt ab ipſa. Pſalmus. Beatus vir qui non abiit* &c. Definunt cum *Pſalmo* ultimo.

CCCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 284
XV. Folior. 214. f. per duas columnas currente calamo exaratus et olim *Monaſterii B. V. M. Scotorum Viennae* continet I. praemiſſo Indice D. *Thomae Aquinatis Quodlibeta* XII. quorum Primum incipit: *Queſitum eſt de deo angelis et homine* &c. Leguntur haec *Quodlibeta*, Scholaſticis olim ex eo dicta, quod materiam propoſitam in *quamlibet* partem verſarent, qua in re ingeniis ſaepe nimium indulgebatur, in edit. *Opp. Thomae Romae* 1570. T. VIII. f. poſtquam jam Sec. XV. plus vice ſimplici typis excuſa fuiſſent. Ad calcem adjacent quaedam ex L. II. et IV. *Revelat. Birgittae.*

II. *fol.* 147. *Incipit quodlibet fratris Richardi de media villa triplex.* Initium primi: *In mea generali diſputatione de quolibet quedam*